

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4504

Auteur(s) : Avranches (sous-chantre)

Bénéficiaire(s) : Simon [clerc]

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1266, 10 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre du sous-chantre de l'église d'Avranches adressée à Simon, titulaire du prêtre de Sainte-Cécile, légat papal, sur le droit de l'église Saint-Martin de Montjoie.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CLXXXIII, p. 184-185.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris seu audituris sucentor ecclesie Abrincensis, unicus judex a reverendo patre Symone, miseratione divina, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, salutem in Domino. Noveritis quod cum diceret et proponeret in jure coram nobis, auctoritate dicti legati, magister. Nicholaus de Ponte, rector ecclesie Sancti Martini de Monte Gaudii, Abrincensis dyocesis, contra Juhellum de Poilleio, militem, quod cum ipsius magistri predecessores, nomine suo et dicte ecclesie, et ecclesia supradicta fuissent in possessione vel quasi juris percipiendi et habendi quandam decimam sitam in feodo de Masura per inspectionem, si opus esset, declarandam, et dictus miles dictam ecclesiam et ejusdem rectoris predecessores dicta decima minus juste et sine causa rationabili spoliasset seu spoliari mandasset seu spoliationem factam nomine suo, ratam habuisset et haberet, et dicta ecclesia eidem magistro collata fuisset cum ea integritate cum qua ejus predecessores ipsam ecclesiam habuerant et possederant, petebat idem rector, nomine suo et ecclesie sue predicte, dictum militem ad dictam decimam integre restituendam et reddendam et restitui et liberari procurandam sibi sententialiter condempnari et compelli, in tantam quod eandem decimam ad jus et proprietatem dicte ecclesie revocet et revocari procuret, cum ipsa decima dictam ecclesiam minus juste et sine causa rationabili spoliasset et adhuc detineret spoliatam, libello super hoc oblato et recepto, datus induciis, lite super premissis sollempniter contestata, jurato de calumpnia seu de veritate dicenda posito hinc inde et responso, dictus miles sub prestitis juramentis excipiendo asseruit et proposuit quod dominus Juhellus Berenger, predecessor dicti Juhelli, dictam decimam dederat et concesserat Garino de Pinceio, quondam rectori dicte ecclesie, quoad viveret idem Garinus, ita tamen quod, ratione dicte decime, idem Garinus reddebat annuatim eidem Berengier decem boissellos avene et quod dicta decima pertinebat ad jus et proprietatem dicti militis, quod negavit idem rector per suum juramentum. Testibus vero, ex parte dicti militis, productis coram nobis contra dictum magistrum ad probandum dictam exceptionem, juratis diligenter examinatis, eorum attestacionibus publicatis, auditis que partes dicere seu proponere voluerunt in dictos testes et eorum dicta, juris ordine, prout potuimus, in omnibus observato omnibusque rite peractis, die assignata coram nobis dictis partibus ad audiendum diffinitivam sententiam proferri inter eas, eidem militi significando quod, sive veniret, sive non, nichilominus ad diffiniendum procederemus, ut jus esset, ipsius militis absentia non obstante ; partibus coram

nobis in jure comparentibus, et, cum nos sententiam nostram diffinitivam vellemus prononciare in scriptis, dictus miles a presencia nostra contumaciter recessit, et, nos, communicato prudentum virorum consilio, ad diffiniendum procedentes, non obstante dicti militis absencia, utpote per ejus contumaciam Dei repleta presencia, quia nobis constituit dictum magistrum intentionem suam per confessionem dicti militis coram nobis in jure factam sufficienter probavisse et dictum militem in excepcione sua probanda penitus defecisse, dictum militem ad reddendum et restituendum et ad jus et proprietatem dicti rectoris, nomine suo et dicte ecclesie, revocandum ea que in petitione ipsius rectoris continentur per diffinitivam sententiam in scriptis sententialiter condempnamus, reservata nobis taxandi expensas factas, ex parte dicti rectoris, contra ipsum militem, occasione premissorum, dicto rectori, potestate. Et hec omnibus quorum interest significamus per presentes litteras sigillo nostro sigillatas. Valete. Actum anno Domini M CC LX sexto, die jovis ante festum Sancti Barnabe apostoli.